



DEO TER OPT. MAX. FAVENTE
ET JUVANTE
²⁶
RESOLUTARUM

QUÆSTIONUM,

Ad materiam Dominii & rerum.

D E C A D E M

*Ex Decreto atq_z Autoritate Magnifici Juris-
consultorum Ordinis*

In Florentissima Electorali Academia

WITTEBERGENSI

SUB PRÆSIDIO

V I R

Nobilis, Amplissimi, Jurisconsultissimi

& Excellentissimi

DN. GOTTFRIDI SUEVI, J. U. D.

& P.P. Celeberrimi, Curiæ Electoralis Facultatis Juri-
dicæ, nec non Scabinatus Adsestoris gravissimi,
Domini, Præceptoris, ac Patroni ui submissè
colendi

Publico examini subjicit

GEORGIUS Alland

Jutrebocensis Saxo

Ad d. 31. Julii b. pom.

In Auditorio JCtorum.

WITTEERGÆ,

Apud Jobum WILHELMUM FINCELUM,
Anno d^o I^c LII.

ΣΑ.



DEO TERRA MATER ET
MAGISTER PEGAS

VIRIS

Amplissimis, Prudentissimis atq;
Spectatissimis

Dn. BALTHASARI SCHARNOVIO,
Dn. ZACHARIAE Nattheiden/ } Cos.
Dn. TOBIAE Gericken/ }
DN. PAULLO JACOBO Wächtlern/ Synd. & ab
epist. publ.

Dn. ADAMO Niendorffen/
Dn. BALTHASARI Emmen/ } Senior. & Se-
Dn. JOHANNI Schmieden/ } nat.
Dn. CHRISTOPHORO Ackermann/ }
Totiq; Reipublicæ Jütrebocensis
Senatui

Dominis Affinibus, Avo, Promotoribus ac Fau-
toribus suis, omni Pietatis & observantie
cultu honorandis, hocce qualemque spe-
cimen submissè offert & con-
secrat

GEORGIUS Aland
Respondens,

Numinis timor verendi, recta mentisindoles,

nescius fuciq; candor, elegans morum pudor,
(qvas dedit natura dotes,) sponte parta sunt

Tibi.

Singula hæc præclara dudum percolis virtutibus
insuper, versare svetus usque doctas paginas,
urbis æternæ loqventes jura, sedulâ manu.

Hactenus sodalibus cum disserentem novimus.

Nunc & ingenî recessus publicè dum pandere
gestis, & laudant amici, nec Themis non annuit.

f.

VVILHELMUS LYSERUS.

Summo sic studio leges per volvis Amice,
Acriter indagans quænam tot pluria rerum
Passim sint genera & sibimet quo querere jure
Omnia quis possit, modo non lex deneget ipsa,

Relli-



Relligiog^z vetet: Te legum ostende peritum,
Quem nec defessum spes hæc pulcherrima nutrit;
Dulcis honoris amor, justa ambitioq^z, Brabei,
Divus quod nobis præfixit Justinianus.

Qvod sinceroris Affectus
testamen adjiciebat

Johannes Jeremias Reusnerus.



GRATIOSO SPIRITU
DIRIGENTE
RESOLUTARUM
QUÆSTIONUM
AD MATERIAM DOMINII
ET RERUM.

DECAS I.
PRÆSIDE
GOTTFRIDO SUEVO D.
ET PP.

RESPONDENTE
GEORGIO Aland Jütrebo-
gå Saxone.

QVÆSTIO I.

An rectè se habeat divisio rerum tradita in
pr. Inst. derer. div. omnes res, vel in patri-
monio nostro esse, vel extra illud?

Affirm.

UBITO. I. Alias atqve alias di-
visiones tradunt JCti, velut Cajus in l. 1.
ff. de rer. div. res esse vel divini vel hu-
mani juris; & Marcianus in l. 2. pr. ff.
eod. tit. esse vel jure naturali commu-
nes, vel universitatis vel nullius vel sin-
gulorum, è qvibus prior illa divisio tanquam summa
in Inst. proponenda fuisset. Dubium præterea & il-

A

Iud

Iud incidit, cur Justinianus Imperator in d. pr. præter communes, res etiam publicas referat, qvas tamen omisit JCtus Marcianus. in d. l. 2. pr. 2. Nec omnia membra exhaustit illa in Inst. tradita divisio, siqvidem præter eas qvæ vel in bonis vel extra bona sunt: (ita enim vocabulum Patrimonii h̄ic accipiendum est, latè nimirum & generaliter, pro eo, qvod in bonis est, ut in l. 25. §. ff. de hered. Petit. l. 16. pr. ff. ad. Sc. Trebell. non strictè & specialitè, de bonis paternis) videtur & tertia species esse, rerum qnæ nec in bonis nec extra ea sunt. qvale exemplum proponit JCtus in l. 1. ff. de usu & usuf. Leg. de Servitutibus; eas nec ex bonis, nec extra bona esse.

DECIDO. Qvia sub hanc divisionem res aliæ omnes referri possunt, eiq; subordinari divisiones cæteræ: quidnî enim ita dicamus, Res extra patrimonium nostrum esse vel divini vel humani Juris, divini Juris res esse, qvæ aliâs nullius dicuntur, nimirum res Sacras, religiosas & sanctas; humani juris; esse res communes, publicas & universitatis. In patrimonio nostro esse res illas, qvæ singulorum dicuntur, qvæq; variis ex causis cuiq; acquiruntur. pr. & §. s. segg. Inst. de rer. div.

RESPONDEO. ad 1. aliæ sunt divisiones, verūm Priori subordinatae & ejus expositivæ; inq; Patrimonio nostro saltem res singulorum sunt; cæteras omnes in classe earum computabis, qvæ extra patrimonium nostrum sunt positæ; ut dictum est in DECIDO. Publicas res omisit Marcianus, qvia in latiore significatu, sub communibus veniunt, uti promiscue sàpiùs usurpantur publica pro communibus: Ita littora dicuntur publica in l. 14. ff. de A. R. D. & l. 50. eod. l. 45. ff. de

bul



de usurp. & usuc. l. Arist. 10. ff. de R. D. Qvanquam
aliás in strictiore significatu publica à communibus
differant, §. 1. & 2. Inst. h. t. ea potissimum ratione,
qvod occupando qvid è communibus rebus, veluti æ-
dificando, nostrum facimus, in publicis, saltem usus
fit noster. Vid. Bach. in Com. ad pr. Inst. h. t. Qvā strictio-
re significatione præsupposita dicendum erit, cum We-
senb. ad d. pr. Inst. h. t. Marcianum publicas res non
omissee penitus, cùm aliás in eod. lib. 3. Inst. publicas à
communibus distingvat, l. 4. ff. de rer. div. sed sub re-
bus universitatis comprehendisse, siqvidem res illæ,
qvæ propriè publicæ dicuntur, & Imperii, & Populi
sunt; non male dici possunt, esse Universitatis ex Jure
Gentium: cæteras res, qvæ speciatim universitatis di-
cuntur; & recensentur in §. 6. Inst. h. t. dixeris, esse u-
niversitatis ex Jure civili sive Jure civitatis Vid. Wes.
d. loc. ad 2. Varias legis illius expositiones recenset &
examinat Dn. Ungep. Exerc. 5. Q. 1. Nos ita tentabimus
expedire: Non dici in illa L. de Servitutibus, eas nec
in bonis nec extra bona esse: qvod intendunt dissentientes, sed eum casum tractari, quo quis usum aut
usumfructum, itineris, actus, viæ, aquæ ductus legaverat. Hoc legatum inutile est: ex ratione ibidem sub-
jecta, qvia servitus servitutis esse non potest. Instat
JCtus: ex SCto omnium qvæ in bonis sunt, usumfr.
legari posse: Respondet ipse sibi, & negat; Usum vel
Usumfr. Servitutis legatae esse in bonis; aut extra bo-
na. Idq; ideo qvia servitus talis nunquam constituta
fuit aut constitui potuit: Ergo ejus, ut non Entis
nulla erunt accidentia. Conf. Donell. lib. 4. Comm. c. 7.
& ibi Hillig. in Not. lit. C. ubi hanc explicationem Do-
nelli, & verbis convenientiorem & expeditiorem dicit.

A 2

qvod



qvod & seqvitur Arum. Exerc. 4. th. 3. Regerit ad eam, solutionem Dn. Ungep. d. qvæst. 1. de usu & usufructu servitutis legatæ negari qvidem in d. l. qvod in bonis sit, simul tamen asseri, qvòd non sit extra bona, ibi neqve ex bonis negj extra bona sit. Id autem qvod per rerum naturam nullum est; omnino esse extra bona. Existimaverim responderi posse: Licet actio non sit ad petendum ipsum usum vel usumfr. servitutis; sive ad servitutem servitutis petendam, qvam ob causam legatum hoc nullum, nec in bonis esse dicitur, datur tamen actio incerti, veluti subjungit JCtus in d. l. adversus hæredem, ut is Legatario, qvam diu vixerit eundi, agendi, ducendi facultatem præstet &c. qvo respectu non extra bona esse dicit. Alias servitutes, reformatæ & constitutæ omnino sunt in bonis, imo & dominio l. 4. ff. de usufr. l. 8. pr. de reb. aut. Jud. possid. pro qvibus conseqvendis aut recuperandis actiones habemus §. 2. Inst. de Act: bonis autem annumerabitur etiam, si qvid est in actionibus, petitionibus, persecutionibus. ait JCtus Ulpianus in in l. bonorum 49. ff. de V. S.

Q V A E S T I O II.

An Dominium sit rerum tantum corporalium: an item aliud directum, aliud utile? Utrumq; Negamus.

DUBITO, Qvo ad prius. i. Sive enim derivationem vocabuli expendamus, à domo denominatum est dominium; l. pronunciatio 195. §. 2. ff. de V.S. Valent. Gvil. Först. de dominio c. 1. n. 1. Et 2. sive originem dominii respiciamus, ex naturali possessione cœpisse novimus l. 1. §. 1. ff. de acquir. vel amit. poss. Jam & domus est res corpo-

corporalis, & naturalis possessio apprehensionem exigit. Non itaq; dominium aliarum rerum erit: qvam corporalium, qvam earum, qvæ naturaliter apprehendi possunt, id qvod in res incorpores non cadit. 2. modi acqvirendi dominium sunt traditio & usucatio l. 20. C. de Transact. utrumq; hoc tantum ad res corporales pertinet. Incorporales autem res, traditionem & usucationem non recipere, manifestum est dicitur in l. servus 43. §. 1. ff. de A. R. D. Unde 3. modi & exempla acqvirendi rerum dominii de corporibus tantum proponuntur in Inst. 5 ff. de acqvir. rer. dominio; de incorporalibus autem rebus seorsim agitur in aliis & distinctis titulis, & qvidem 4. ita, ut dominium iis non tribuatur: Sic enim Usufructuarius dominus esse negatur in l. 1. §. 2. ff. ad SC. Silan. l. 43. §. fin. ff. de furtis nec usumfr. esse partem dominii dicitur in l. 25. ff. de V. S. Qvod animadvententes, qvidam 5. rectè apponunt definitioni dominii hæc verba, qvod dominium sit jus de re corporali perfectè disponendi: cum Bartolo in l. 17. §. 1. ff. de acqvir. posses. sive jus de re corporali pro arbitrio statuendi Donell. lib. 9. Comment. c. 8.

Qvoad; posterius 1. Emphyteutæ in jure nostro dicuntur fundorum Domini in l. 12. C. de fund. patrim. & Jure dominii ipsis tradita dicitur Emphyteusis in l. 4. C. d. t. Contra de iisdem Emphyteutis dicitur, qvad non efficiantur domini in l. 1. §. 1. ff. si ager vectig. vel Emphyt. pet. Idem de usufructuario dicitur, cum esse Dominum, & appellatione domini contineri l. 8. pr. ff. de reb. aut. Jud. possid. Contrà dominum eum esse negatur in l. falsus 43. §. fin. ff. defurt. Eundem in sensum de Vasallo dicitur: qvod tanquam dominus rem feu-

dalem à qvilibet possidente possit vindicare. 2.F.8. §.
rei autem. Unde omnino dicendum est, Emphyteutam
& fructuarium & Vasallum esse Dominos, jam directè
domini non sunt. E. utiles. Adeoque dabitur omni-
no utile dominium. Maximè 2, qvia & rei vindica-
tio duplex reperitur in Jure nostro, directa & utilis
l. qva ratione 9. §. 2. ff. de A.R.D. qvæ diversitas actio-
nis diversum qvoq; dominium præsupponit.

DECIDO, qvoad prius. 1. Vindicatio propriè
sic dicta datur etiam pro rebus incorporalibus; Ita e-
nim & servitutes vindicari dicuntur in l. 1. pr. l. 5. §. 1. &
ult. si ususfr. pet. l. 2. §. 1. l. 4. §. 9. & passim ff. si serv.
vind. §. 2. Inst. de Action. Ubicunque autem vindica-
tio propriè sic dicta datur, ibi etiam dominium ver-
rum dari necesse est. Vindicationem autem dicimus,
non rei vindicationem, hæc enim est corporalium
tantùm, illa incorporalium. Imò 2. dominium ex-
presse prædicatur de usufructu in l. 4. ff. de ususfr. & usu-
fructarius dicitur dominus in l. 8. pr. ff. de rebus aut.
Jud. poss. vid. Valent. Gvili. Först. disp. 6. q. 6. & in tract. de
Domin. c. 5. n. 17. Et qvanquam Donellus ejusq; Enuclea-
tor Hillig. lib. 9. Comment. c. 8. Dominium impropriè
saltem & abusivè prædicari de rebus incorporalibus
opinentur: propterea, qvia sicut Jurium non vera sed
quasi possessio est, ita & dominium Jurium dicatur,
non verbi proprietate sed similitudine. Attamen
nec ullib; in Jure nostro, dominium rerum incorpo-
ralium, dicitur improprium; nec cum toties dicatur
dominium earum rerum in genere; existimandum
est, tot locis impropriè loqui amasse JCtos. Et est o-
mnino possessionis & dominii alia ratio. Possessio fa-
cti est, ejusq; adæqvatum objectum res corporalis,
qvx



qvæ teneri & apprehendi possit. Dominium juris est: adeoqve non præcisè reqvirit corpus, sed in animo consistit; qvi incorporales res æqvè amplectitur ac corporales adeò, ut hic maximè usurpari possit, qvod alibi generaliter dicitur: Nihil cōmune habet proprietas cum possessione. I. naturaliter 12. §. i. ff. de acqvir. poss. 23

Qvoad posterius. Sæpissimè vocabulum dominii usurpatum reperitur in Jure nostro, qva appellatione simpliciter proleta, dominium directum intelligi, dissentientes ipsi concedunt. De utili dominio neq; ex Pandectis, neq; ex Codice allegari textus aliquis potest. Dd. vulgò int. 12. §. i. ff. de acqvir. poss. Unicum ergo & directum tantummodo dominium erit, qvod solum retinebimus, donec alterum membrum utilis domini probatum ex Jure dederint dissentientes. Nam usū communi receptum est, esse hanc divisionem tanquam magistralē, & docendi causa tolerari posse non diffitemur: Verū si in Scholis ad regulas Juris Justiniani eam expendamus, ineptam & Juri sinceriori incognitam, esse dicimus cū Vult. ad pr. Inst. qvib. alien. lic. vel non. n. 16. Riem. Decad. 4. q. 2. Först. de Dominio s. n. 40. & seqq. adde qvæ de retinendā in foro hâc divisione habet idem Först. d. c. 5. n. 50. Alias, divisionem dominii, qvod aliud sit proprietatis, in corporalibus, aliud Juris, in incorporalibus; aliud plenum, proprietate cum Jure rei, e. gr. usufructu, conjunctâ: aliud non plenum: separatim penes alium existente proprietate, penes alium Jure cum Duar. lib. 1. disp. annivers. c. 17. & Riem. d. 2. agnoscimus. Unde & consectarium illud deducitur: dominium à proprietate diversum esse, eademq; latius patere. Licet interdum proprietas pro dominio sumatur, tanquam species pro genere, sicut

Emptio



Emptio pro omni alienatione accipitur l. 29. in fin. ff.
de statu lib. Först. d. c. s. n. 14. & seq. Hunn. V. R. lib. 2. tract. 1.
qvest. 6.

RESPONDEO. Qvoad prius, ad 1. An à domo, an
à Domino, an à domando, an à græco δόμιον, δόμιον,
deducendum sit dominium, incertum est, vid. Först. de
Dominio c. 1. Et si maximè certum esset: à domo appelle-
latum esse dominium; non tamen præcisè illud domui
adstringemus. Sic enim fortè aliarum rerum corpo-
ralium extra ædes, non erit dominium; qvod falsum
est. Nec ob eam rem, rebus incorporalibus, prædicatum
dominii negabimus, cum novum haut sit, denominari
qvid primùm à re certa, eamq; denominationem
postmodum ad alia transferri: Cœperunt à naturali
possessione dominia: Non autem inde sequitur, qvod
earum tantum rerum dominium sit, qvæ naturaliter
apprehendi possunt: cùm nihil obstet, alios atq; alios
modos, acqvirendi sine apprehensione dominii inve-
niri potuisse. Imò naturalis illa apprehensio de qua
in l. 1. ff. de acqvic. poss. referenda videtur ad res illas
acqvirendas, qvæ nullius fuerunt, esse tamen alicujus
potuerunt; has nemo acqvirit, nisi apprehendat & oc-
cupet. ad 2. Imò & alii sunt modi acqvirendi tum ex
Jure Gentium, tum ex Civili. t. t. Inst. de rer. div. §. fin.
Inst. de Iusu & habit. cum tit. seqq. add. Ulp. in fragm. tit. 19.
Nec traditionem respidunt res incorporales sed pati-
entia Domini, permittentis alium Jure qvodam in re
suâ uti, habetur pro traditione; unde in l. 3. ff. si ususfr.
pet. Ususfructus traditus dicitur ex causa fidei commissi.
ad 3. Licet seorsim de dominio rerum corporalium
tractetur in aliis titulis, sufficit tamen, earum esse do-
minium quoque, non enim in titulis, de acqvir. rer. dom.
omnes



•mnes acquisitionis modi proponi potuerunt. Ad 4.
usufructuarius nō est Dominus, proprietatis nimirum,
sive rei qvā utitur fruitur: Est tamen Dominus Usu-
fructus, sive Juris, qvod in re ipsi constitutum est; ad
qvod petendum, & conservandum actiones proditas
habet, qvale dominium Juris dari, suprā dictum est:
Ideo appellatione domini fructuarius continetur
l. 8. pr. ff. de reb. aut. Jud. poss. Ususfructus non est pars
dominii: i. e. proprietatis; Nam à proprietate separa-
tionem recipit; ait Imp. in §. 1. Inst. de Usufr. Et do-
minium aliud est proprietatis, aliud Juris. Sed est pars
sive species servitutis: id est dominii vel Juris in re
constituti: qvo sensu pars dominii expresse dicitur
in l. 4. ff. de Usufr. & quemadmodum qvis ut. Vid. Goedd. ad
d. l. 25. ff. de V. S. n. 10. Vult. ad rubr. Inst. de rer. div. n. 21.
ad 5. definitio illa; qvam post Bart. & Donell. d. l. &
Duar. lib. 1. disp. annivers. c. 17. & multi è recentioribus
amplectuntur, erronea est, & strictior suo definito,
cum dominium etiam incorporalium rerum esse pro-
batum sit, in DECIDO. Alias posthabitatis aliis defi-
nitionibus, qvas refert Först. de dominio c. 4. brevissi-
mè & verissimè dominium definimus, qvod sit Jus
dominandi reisux; cum Först. d. l. n. 19. & seqq. & Riem.
Dec. 4. q. 1. ita ut non opus sit addi verba, de plena dis-
ponendi, utendi, abutendi, alienandi, vindicandi pote-
estate. Siqvidem qvi verus Dominus est, non semper
pro arbitrio disponere, abuti aut alienare potest; t. t.
Inst. qvib. alien. sic. Vindicatio autem effectum do-
minii respicit, non ejus substantiam & naturam: &
ex accidente saltem oritur interversa nimirum ab
alio possessione.

Qvoad Posterius. ad 1. Emphyteutæ patrimonia-

B

les,

23



les, id est, qui fundos ad patrimonium Principis pertinentes, ab eodem in Emphyteusin acceperunt; eorumdem Domini efficiuntur, de quibus expressè loquitur & rubr. & dicta l. 12. C. de fund. patrim. Estq; ratio eorum specialis, quam ipsi Impp. reddunt in l. 4. C. eod. tit. quod Principes, non magis commoden sua, quam Jure Domini tradant. De ceteris Emphyteutis verum manet, quod dicitur in l. 1. §. 1. ff. si ag. vect. eos non effici dominos. Usufructuarium Dominum esse non quidem rei ipsius sed juris in re constituti, supra directum est, & ita conciliamus legem 16. pr. ff. de reb. aut. judic. poss. cum l. 43. §. fin. de furt. Juris autem Dominum dum dicimus Usufructuarium; non utile Dominium intelligimus, sed directum; ut & in Vasallo; quoniam nomine directa ipsis competit actio, licet certo respectu & relatione ad dominum habita, Vasallus tanquam Dominus appelleatur, & quasi vindicare dicatur in c. un. 2. F. 8. §. rei autem.

Ad 2. Si Emphyteuta, fructarius, Vasallus rem in qua Emphyteusis Ususfructus & Feudum constitutum est, petant, faciunt id rei vindicatione quidem utili, non tamen inde sequitur: dominium ipsorum esse utile; quin potius dominium juris, quod in Emphyteutico fundo, re fructuaria & feudo habent, directum est: quod directa actione petunt. Et utilitas & aequitas non inducit dominium, sed actiones, & Exceptiones; nec ex Dominio utili, nascitur utilis actio, sed ex aequitate; actiones plures quibusdam actoribus directæ sunt, quibusdam utiles. Diversitas oritur non ex fonte directi & utilis Domini, sed ex legibus, Jure & interpretatione: Conf. Niell. disp. feud. 3. th. 6.

QVÆST



Quæstio III.

Violatores murorum urbis municipalis

an pœnâ capitali afficiendi?

Neg.

DUBITO. 1. Ob generalitatem §. 10. *Inst. de rer. div.* in quo de muris civitatis dicitur, quod divini juris, quod sancti sint. adde l. 8. §. 2. ff. eod. quod nullius in bonis sint, additurq; ratio, cur sancti dicantur, quia pœna capitum constituta sit in eos qui aliquid in muros deliquerint. 2. generaliter quoque in l. ult. ff. d. t. dicitur: *si quis violaverit muros*, neque additur quicquam de muris civitatis Romanæ; generalis subjungitur ratio: hostile & abominandum esse, cives Romanos alia quam per portas via egredi. Et quanquam civium Romanorum fiat mentio, nec non Exemplum Romuli subjiciatur in d. l. fin. attamen appellatione civium Romanorum, non tantum veniunt cives urbis Romanæ; sed omnes qui sunt in orbe Romano, quos cives Romanos effecit Imperator Antoninus in l. 17. ff. de stat. hom. Et exemplum Remi sicut & alia Exempla non restringere Regulam vulgo notum est. gl. in l. nunquam f. ff. de priv. delict. Hotom. in Comment. Inst. ad §. sanctæ h. t. Arum. Exercit. 4. tb. 8. Cæterum quod in d. l. t. ff. de rer. divis. de Remo dicitur, quod murum transcendere voluerit: non de solo animo & proposito intelligendum, cum Accursio, quasi non transcenderit, adeoq; iniqvè occisus fuerit, contra l. cogitationis 19. de pœnis. Sed ita accipiendum, quod transcendere voluerit: id est volens transcederit, sive animum ut transcederet induxit.

rit. *Hot. d. l.* sicut & alibi, usurpare voluisse dicitur, q̄i volens usurpavit in *l. 4. C. fin. reg.* Verè enim Remum transilivisse muros, ex Livio, Cicerone & aliis probatur: Et ea de causa.

Fraterno primi maduerunt sanguine muri. Ut ait Lucanus.

DECIDO. I. Ubi majus delictum ibi & major poena: gravius autem delinqvi in urbem Romam, illud Imperii caput, cōmunem patriam, urbem æternam, uti passim vocatur, extra controversiam positum est. Majus omnino periculum est tentare qvid in muros Principis urbis Romæ, eosq; hostili animo (nam necessitat, ignorantia, aut imprudentia condonandum aliquid est. *Wesenb. ad b. §.*) invadere; in quibus Imperii totius fortunam habitare creditum est; quam tale qvid in muros municipii, privatarum fortunarum habitaculi admittere. E. & magnitudini delicti pariter & periculi, poena commensuranda erit, secundum *l. u. p. ff. de pœnis*. Ut qui urbis Romæ; vel hodiè Civitatum Imperialium aut castellorum muros & valla transcederit poena capitis; qui municipalium urbium; arbitriè multa pecuniaria, carcere imò & relegatione afficiatur. Vid. Berlich. *decis. 70.*

RESPONDEO ad I. generaliter de muris & portis dicitur in *§. 10. Inst. b. t.* Sed mox restringitur ad muros civitatis; non enim dici placuit de muris Civitatum. Jam appellatione Civitatis, eminenter, Roma intelligitur, *§. 2. Inst. d. I. N. G. & Civ.* Sancti quidem sunt & alii muri municipales: & in eos quoque prohibitum est delinquare, aut in iis quid immittere *d. l. 8. §. 1. ff. b. t.* non autem sequitur, delicti utriusque eandem esse poenam: Prohibemur ne quid contra leges faciamus,



mas, sed maiores & minores superiores & inferiores
observamus, Eandem verò pœnam esse violatae infe-
rioris aut minoris, qvæ superioris & Majoris, nemo di-
xerit. Ad 2. ad muros civitatis Romanæ restringen-
dam esse dictam l. ult. ff. b. t. tūm delicti & periculi
magnitudo facit, de qvo in DECIDO. tūm subje-
ctum Exemplum; de fratre Romuli, Remo, qvod cum
prorsus sit singulare; sub initia fundandi Imperii, cō-
missum in fratre: qui muros cōunes, quasi suos tran-
filiisse videri poterat, haut certè credendum est, JCtum
pœnam hanc promiscuè dictari voluisse violatoribus
murorum in municipiis, sed potius exemplo illo sin-
gulari & absimili prorsus ab aliis, Regulam vel sancti-
onem restringere voluisse ad muros urbis Romanæ.
Non obstat his ratio subjecta. Demus enim hostile
& abominandum etiam in Municipiis esse; alia qvam
per portas via egredi; Inde tamen de identitate pœ-
næ non continuò statuendum erit: Hostile & abomi-
nandum est hominem homini, armis vel veneno in-
fidiari & fata ejusdem appropereare: sed majus omni-
nō supplicium esse, si qvis in parentes, in Principem,
in Magistratum, in fratres, tale qvid ausus fuerit; qvis
ignorat? Ita cum glossa. ad §. 10. Inst. b.t. Wesenb. Vult.
& aliis.

Q U A E S T I O N E I V .

Venationibus an rectè interdictum sit subdi-
tis & contra prohibitionem venantes, an
capitis interdum pœnas rectè luant.

Aff.

DUBITO. qvoad prius. Dominium in feras o-
mnibus hominibus promiscuè concessit Deus: qvod

B 3

privi-

23



privilegium intervertere videtur, qui prohibet. 2. Autorem hunc naturæ jus naturale sequitur, & jus venandi permittit omnibus, ita ut quod nullius est, id naturali ratione occupanti cedat, quod ipsum jus Civiles deinceps approbavit §. 12. *Instit. de rer. div.* Quidam ergo 3. Principes aut Juri naturali derogare: aut Jus privatis & subditis in suo maximè fundo quantum auferre poterunt; & quidem cum damno subditorum non exiguo, aut saltem cessante lucro.

Qvoad Posteriorius, i. Nulla enim proportio esse videtur, inter feram bestiam captam, & vitam hominis, nulla analogia est propter feram capite punire hominem ait *Wesemb. in Parat. de acquir. rer. dom. n. 7. in fin. 2.* Cum fera sit nullius; in libertate naturali constituta, quæ tam privatorum est quam Principis, nec in illius dominio est, nec ab eo possidetur. Ideò irre, quæ nullius est, nec furtum erit, nec furti poena locum habebit. Unde 3. in *textu Landr. lib. 2. art. 6.* expresse dicitur, daß niemand seinen Leib / noch sein gesund an diesen dreyen (Fisch und Vogel und allen wilden Thieren) verwürcken möge.

DECIDO, Qvoad prius; Ne publica tranquillitas turbetur; Ne species ferarum intereant; Ne magis utilia in publicum omittantur. Curæ Principis incumbit; Jam promiscua venatione subditis omnibus concessa quis non videt & periclitari publicam tranquillitatem adhibitis ad expediendam venationem armis, quorum usus privatis alijs interdictus est. l. un. C. ut arm. usus & interituras brevi esse ferarum species: opificiorum quoque & agriculturæ operas, magno publicæ rei incommodo neglectum iri: si sylvas & saltus perreare, & feras capiendo devastare cuivis inte-



integrum esset. Vid. *Wesenb.* *Parat.* de acqvir. rer. dom.
2. Pruckm. de Reg. §. venatio. c. 4. n. 15. Quæ rationes,
qvanqvam in Nobiles qvibus armorum usu & Exerci-
tiis honestis interdictum haut est, non perinde qua-
drare videantur; attamen constat, Eos non perinde
ac promiscuè venationibus uti; sed ex concessione
Principis, à qvo fundos suos in feudum recognoscunt,
vel omnimodam vel limitatam venationem exerce-
re. Dn. Frantz. Exercit. 4. qvæst. 2. Ut taceam justa
æquitatis ratione Principibus pro salute & singulo-
rum qvæsi excubias agentibus, promptissimè & remu-
nerationis in modum permittendam esse honestam
hanc ipsis maximè dignam & Exercitu bellici præpa-
ratricem voluptatem.

Qvoad posterius. Præsupposito eo, de qvo in prioris
qvæstionis decisione dictū est: qvod justa satis ratione
Principes terrarū ad se traxerint jura venationum, sci-
rè omnino subditi debent: citra specialem concessio-
nē, Jura illa ad se non pertinere ulterius, & feras bestias
non amplius libertati naturali relictas, sed qvæsi in syl-
va qvadā circumsepta, Principis esse; qvas qvi invadit,
res alienas, id est, Principis invadere censemur. Si itaqve
sub pœna certa etiam capitis prohibuerit Princeps,
venationibus non indulgere, inq; eam legem temere
committant subditi, & delictum səpiùs iteratum sit,
qvin ob contumaciam, contemptum & autoritatem
Imperantis; post leviores pœnarum gradus ad ulti-
mum supplicium devenir possit, ambigendum non
est. Vid: Sententia Scabinorum Lipsensium post
Sachsenspiegel/ in qva tūm casum Edicti prohibito-
rii, cuius cognitionem habuit delinqvens, tūm reite-
rationem delicti præsupponunt, & ita pronunciant.

So



So würde Er vermöge desselben Mandats mit dem
Strange vom Leben zum Tode gestraft. V. R. W.
adde Heig. p. 1. q. 15. in fin. Först. lib. 2. disp. 6. th. 10. Et lib.
de domin. c. 9. n. 53. Et seqq. 2. Facit, quod abigei, ubi
freqventius est id genus maleficii ad gladium da-
mnari solent. Et alias decantatissimum illud est:
Crescentibus delictis crescunt poenae. Et multis gras-
santibus personis Exemplo opus est. I. 16. §. ult. ff. de
poenis: Elegans similis animadversionis Exemplum
refert Val. Max. lib. 6. c. 3. de Domitio Prætore Siciliæ
Rectore, qui Pastorem quod venabulo aprum confe-
cisset, contra prohibitionem telo usus, cruci suffigi-
jussit, & subjicit, quod ratio publici Imperii prætorem
nimis asperum existimari non patiatur. Recte itaque
poenam laquei, cum aliæ poenæ leviores à Fratre Mau-
ritio & ipso sanctæ nihil proficerent dictavit ferarum
captoribus D. Augustus El. Sax. peculiari mandato de
anno 1584. quod & renovarunt Christianus I: de an-
no 1587. & Christianus II. Electores laudatissimi in
mandato de anno 1603. Secundum quas Constitutio-
nes Collegia Scabinorum pronunciare jussa sunt &
quotidie pronunciant, poenam laquei dictando dum
tamen 1. feræ captæ fuerint in banno ferino ipsius E-
lectoris, de quo solo predicta mandata disponunt:
soll als ein öffentlicher Dieb unsers des Churf.
von Sachsen gehegten/ befreidigten Wildpreths mit
dem Strange vom Leben zum Tode gerichtet wer-
den. (Nam in Ducum aliorum & Nobilium sylvis, qui
feras capiunt, arbitriæ puniuntur, multa pecuniaria,
relegatione aut fustigatione). 2. de corpore delicti con-
stet, ita ut in fericidio deprehensus aut testibus con-
victus fuerit. 3. feræ captæ excedant valorem 5q; so-
lidorum



lidorum Hungaricorum & 4. feræ ejusmodi majo-
res sint, hoch / roth und schwarz oder grob Wild.
Nam pro feris minoribus captis pecuniaria poena
constituta est in mandato Electorali de anno 1584.

Vid. Dn. Carpz. pr. Cr. p. 2. q. 84. n. 33. & segg.

RESPONDEO. Qvoad prius. ad 1. dominium
dedit DEUS homini in feras : qvod non semper in
promiscuo & libero usu & acquisitione earum per
venationes ut consistat necesse est: sed qvod feræ be-
stiæ hominem tanquam dominum vereantur & pa-
veant vi mandati divini; sit terror vester ac tremor
super cuncta animalia. ad 2. à naturali & Gentium
Jure ex justa causa recedi imò & communis vel pu-
blicæ rei usurpatio prohiberi potest vid. l. 2. ff. de flu-
min. l. 2. ff. de divers. & tempor. prescript. multo magis
qvod civili sanctione firmatum est contraria ratione
tolli poterit. ad 3. Non auferre potest Princeps
alicui jus suum, nisi justissima causa urgeat, quâ mo-
tus Princeps singulis subditorum aliquid, & id quin-
dem non magni momenti auferat, ut in publicum
saluti universorum consulat, per rationes allegatas
in DECIDO. Nec Jus privatorum proprium aufert
Princeps venationibus interdicendo; sed jus qvod
ipsi cum cæteris commune erat, soli sibi transcri-
psit: & dum Jure superioritatis, primùm prohibuit
subditos ab usu Venationum, illi quoq; prohibitioni
acquieverunt, immemorialis temporis accidente
cursu & utilitate publica adhuc durante, securè te-
net. Lucrum si cum sumptibus & impendio com-
paretur, id nominis tueri vix potest; prædam sæpè
superantibus impensis. vid. Arnis. de Jur. Maj. lib. 3.
c. 4. lucrum qvoddam ex cōmerciis & negotiationi-

C

bus

bus acquirere fortè Nobiles poterant: Et sunt illa
commercia Juris Gentium: nihilominus ex justa cau-
sa eorum usu interdictum ipsis est, ne perniciosum
urbibus mercimonium exerceant. *I. 3. C. de Commerc.*
& Mercat. de quo lucro sibi adempto Nobiles frustra
couquerentur.

Qvoad posterius. ad 1. In modo pœnæ irro-
gandæ non tam res circa qvam delinqvitur, consi-
deranda est, qvam ipsa transgressio legis, cuius po-
tior qvam ferarum habetur ratio: Nec inter valorem
qvinque aureorum Hungaricorum & vitam homi-
nis proportio est: Et tamen, cum furibus ultra illum
valorem auferentibus publica sanctione pœna la-
quei dictata sit: rectè in condemnatis pœna illa Exe-
cutioni traditur, ex generali totius Imperii obser-
vantia. *Const. Crim. Caroli V. art. 160. Const. Electoris*
Aug. 32. p. 4. Qvis itaq; neget ferarum captoribus ean-
dem pœnam justè irrogari: si æstimatio valorem ex-
cedat 5. aureorum. ad 2. Posteaq; ad Principes
traductum est jus venandi: desierunt feræ, nullius
esse: sed unà cum banno ferino ad Principes perti-
nent: adeò ut qvisq; subditorum scire debeat eas
ad se non pertinere, pœnamq; capitis promulga-
ta expressa sanctione sibi imminere, tanq; furi-
rem alienam contrectanti. 3. Saxo ibi loquitur de
tempore quo Juri primævo & naturali libertati re-
lictæ erant feræ & venationes, à quo cum ex justis
rationibus ut saepius dictum est, per temporis im-
memorialis continuam consuetudinem & usurpa-
tionem recessum sit, (qvod graviter urgent supra
dicti laudatissimi Electores, in crast deß über viel
andenklichen Zeiten im ganzen heiligen Römi-
schen

schen Reich deutscher Nation uud andern Königreichen und Landen hergebrachten verjährten gebruchs niemand gebühret ic.) dispositio illa tanquam contrariò usu non tantùm, verùm etiam expressâ sanctione abrogata, ulterius attendenda non est: sed sanctioni novissimæ criminali & pœnæ ibidem specialiter expressæ secundum ea qvæ diximus, insisti tuto potest. Qvod si in genere prohibita sit capture ferarum absqve determinatione certæ pœnæ, hoc casu transgressores non laqveo, sed arbitriè ad fustigationem usqve puniendos existimamus, nisi peculiari constitutione Regionis, pecuniaria saltēm pœna imposita sit, ut de Marchia refert. Dn. Carpz. d. q. 84. n. 70. & seq.

QVÆSTIO V.

An feræ bestiæ, in alieno fundo contrà prohibitionem domini captæ capienti cedant? Affir.

DUBITO. 1. ingredi fundum alienum regulariter est prohibitum, & injuriarum tenetur qui prohibente Domino ingressus est. l. 13. §. fin. ff. de injur. E. nec venandi causa ingredi licebit, sicut generaliter D. Pius rescripsit, in l. 16. ff. de serv. Præd. rust. consentaneum non esse, per aliena prædia invitis Dominis aucupium facere. Jam venatione & aucupio prohibitis, nec ipsa acquisitio penes occupantem & venantem erit. 2. fructus omnes & qvicquid ex fundo vel in fundo percipi potest ad Dominum pertinet, fructum autem fundi insignem esse in captis animalibus quis negabit? unde instar cætero-

C 2 rum

rum fructuum, ad Usufructuarium pertinent aucupiorum & venationum redditus. l. 9. §. aucupiorum s. ff. de Uſuſr. fructum hunc ſoli Domino intervertere, qvid aliud eſt qvā rem alienam invito Domino lucrifaciendi gratia contrectare? §. 1. Inst. de Oblig. qva ex del. naſc.

Unde 3. ſollicitē diſtingvit JCtus in t. in laqueum 55. ff. d. A.R.D. an permiffu domini laqueus in ipſius fundo poſitus ſit, nec ne; qva diſtinctione opus non eſſet, ſi perinde ſibi acqvireret, qui prohibente domino ac qui permiffu ejus fundum ingressus eſt glosſa ad §. 12. Inst. h.t. verbo ingrediatur.

DECIDO. I. Ex generali illa Regula. Qvicquid nullius eſt, id naturali ratione occupanti conceditur d. §. 12. Inst. h.t. Feræ autem bestiæ anteqvam reāliter captæ & occupatæ fuerint, nullius ſunt: ſed in libertate naturali vagantur, ubiqvē ſint. Et ne putes feras in ſuo vel publico & communi loco captas, tantum eſſe capientium, ideo 2. Imperator ampliationis loco ſubjugit in d. §. 12: Nihil intereffe, feras, bestias & volucres in ſuo fundo qvis capiat an in alieno. Neve, de alieno fundo qvod dictum eſt, ad caſum consentientis vel permittentis domini reſtringas; ſubjicitur ibidem: Domīnum ingredi volentem veſandi vel auctiſandi gratia prohibere poſſe, ne ingrediatur. Interim ſi contra prohibitionem qvis ingressus fuerit, qvicquid ceperit in alieno, ſibi acqvitit: qvod tūm ex verbis præcedentibus apparet: occupanti concedi, ſive in ſuo fundo ſive in alieno, à cujuſ ingressu ſaltem prohiberi poterat: tūm ex ſubsequen- tibus: ibi, qvicquid autem eorum cōperis (adeoq; etiam in alieno fundo, etiam contra prohibitionem domini



domini) edusq; tuum esse intelligitur, donec tuâ custodiâ coercetur, l.3. §.1. & 2. ff. de A.R.D. Dd. comm. magno numero alligati ab Harpr. ad d. §. 12. Donell. 4. com. c. 8. ibid. Hillig. in Not. lit. E. & F. & alii.

RESPONDEO. ad 1. Ingressus in fundum alienum prohiberi potest, qvia fundus ipse est in Dominio privati: in quem nec oculos inferre nec pedes invito domino licet: Venatio autem & captura ferarum, qvæ ad dominum fundi, anteqvam ab eo includantur, nō pertinent, sed in libertate naturali vagantur, adeoqve occupantis fiunt, prohiberi non potest. Et qvanqvam per consequentiam, dum ingressum prohibet, etiam venationem in eo loco prohibeat dominus, non tamen sequitur inde, contra prohibitionem capta non esse capientis, sed domino restituenda esse: neq; id deciditur in d.l. 16. ff. de Servit. præd. rust. sed alibi in d. §. 12. Inst. b.t. & l.3. §.1. 2. ff. de A.R.D. Adeoqve ex actu, cuius initium illicitus est, & prohiberi potest: consecutivum aliquod interdum non improbat: Non recte facit, qvi contra prohibitionem ingreditur fundum alienum vendandi gratia; Recte facit & jure permittente, qvi contra prohibitionem capta, sibi retinet. Prohibitio ingressus actionem injuriarum domino parit, non etiam dominium ferarum.

ad 2. Fructus fundi sunt, qvi fundo cohærent, ex eo proveniunt & in eo continentur; hos qvi contrectaverit, furtum committere dicetur: feræ bestiæ fructibus his annumerari non possunt, vagantur in libertate naturali, nec pars fundi sunt, nec domini fundi. l.3. §.14. ff. de acqvir. vel amit. poss. nec res aliena sunt, circa qvam furti crimen versatur: Ad fru-

C 3

ctua-



Et uariū pertinet venatio, qvatenq; fructus fundi ex ve-
natione constat; extra qvem respectum, venatio fru-
ctus fundi esse negatur in l.26. ff. de usur. Et redditus au-
cupiorum & venationum pertinent ad fructuarium,
d.l.9. §. 5. ff. de usufr. qvatenus cepit qvid & occupa-
vit fructarius, non autem inde qvod alias contra
prohibitionem capta in alieno sua non faciat. ad 3.
non agit JCtus in d.l.55. ff. de A.R.D. de fera sive apro-
capto sed capiendo, & de laqveo venandi causa posi-
to in qvem aper inciderat: cumq; inter alia distin-
xisset, an permisso domini laqveus sit positus, an si-
ne ejus permisso: in summam tandem conjicit rem
totam, & indistincte, sive permisso domini factum
sit sive minus, decidit ejus esse aprum in cuius pote-
statem pervenit, qvod ipsum sententiam nostram
confirmat potius, qvam evertit. Arum.exerc.4. tb.ii.

Q U A E S T I O VI.

*Vi fluminis detracta & prædio meo adjecta
terra, an & ipsa & una cum arboribus
mihi acquiratur? Aff.*

utrumq;

DUBITO. qvoad prius: constat enim de arbo-
ribus tantum cum terra avulsis & alteri adjectis du-
bium fuisse inter JCtos, unde terram qvod atti-
net pro certo habuisse videntur, eam Veteris Domi-
ni permanere: & ridiculum esse ait Hottom. in §.21. Inst.
b.t. Causam istius rei in arboribus ponere, propter ar-
bores acquiri etiam terram; qvam indubium erat ad
veterem dominum pertinere, si vacua arboribus a-
vulsa esset. Qvò accedere summam aliorum libro-
rum

rum confessionem existimat *Hortom. d.l.* Qui plurali numero scriptum habent in d. §. 21. ex eo tempore videntur vicini fundo acquisitæ esse; sc. arbores, de quibus in præcedentibus: qvas avulsa terra secum traxerat, qvæq; in eum fundum radices egerant. Et hanc lectionem in numero multitudinis meliorem esse: ut dicamus acquiri arbores, non partem prædii, ait Pacius in notis ad d. §. 21.

Qvoad posterius: ob responsum JCtorum Varri & Nervæ qvi de arbore, qvæ in alienum agrum translata coaluit, & radices immisit, utilem in rem actionem dabant, l.s. §.3. ff. de *Rei vind.* Veteri nimis domino, qvafid dominio nondum omnino amissi. Nam qvod alii d.leg. de novo dominio interpretantur, cui Varus & Nerva utilem in rem actionem i. e. efficacem dederunt adversus possessorem vid. Harpr. ad d. §. 21. n. 7. & seq. nec menti eorum, aut verbis congruit, (qvod patet ex verbis subjectis: Nam si nondum coaluit, mea esse non desinit) nec appellationi utilis actionis, qvam directæ opponi constat ex l. 47. §. 1. ff. de neg. gest.

DECIDO. Qvoad prius. 1. de ipsa terrâ respondit JCtus in l. 7. §. 2. ff. de acqvir. rer. dom. si longiore tempore fundo meo hæserit (sc. terra, sive pars aliquæ vi fluminis alterius prædio detracta, & meo allata, de qva in præcedentibus egerat) arboresque qvas secum traxerit, in meum fundum radices egerint, ex eo tempore, videtur (sc. terra, de qva in toto contextu egerat) meo fundo acquisita esse: quem § suum effecit Imperator, in §. 2. Inst. b.t. Et hanc lectionem singularem, videtur acquisita, confirmant Pandectæ Florent. veteresq; libri alii vid. Hortens.

ad



ad d. §. 21. 2. Gaio in d. l. 7. §. 2. egregie consentit Ulpian. in l. 9. §. 2. ff. de damn. inf. Crustam ita vindicari posse ait ex mente Alfeni: si non coaluerit, nec unitatem cum terra mea fecerit. E. facta coalitione & unitate cum terra mea: Crusta facta est mea uti addit JCtus in d. §. 2. in fin.

Qvoad posterius: Ex ipso illo Responso Ulpiani in d. l. 9. §. 2. ff. de damn. in f. in quo arborem à veteri domino vindicari posse negat, qvæ translata in agrum meum, cum terrâ meâ coaluit. Negata itaque rei vindicatione, dominium extinctum censetur: & novo domino cuius cum terra coaluit, acquisitum; cum non posset alterius arbor, alterius radix esse & ex alio terræ alimento alia arbor fiat. Hotom. ad d. §. 2. Inst. b. t.

RESPONDEO. Qvoad prius. Imò de ipsa terra magis dubitarunt JCti, qvam de arboribus, de qvibus minùs dubium, qvin unà cum terra & solo, cuius pars sunt, acquirantur, de terra nimirum, qvæ nec pars arborum est nec arboribus cedit. Magis itaq; dubitabile qvod erat decidere voluerunt: fundo eam acquisitam videri, post coalitionem nimirum d. l. 9. §. 2. ff. de A. R. D. d. §. 21. Inst. b. t. qvod semper præsupponendum est. Nam ante coalitionem crusta vindicari potest. d. l. 9. §. 2. ff. de damn. infer. aut condici l. 4. §. ult. ff. de reb. cred. Neqve causam acquisitio-
nis in arboribus ponimus, ut Hotom. autuimat; sed in ipsa terra, qvæ per se sine arboribus adjecta meo agro mihi acquiritur, ideo qvia cum eodem coaluit, & unitatem cum eo fecit d. l. 9. §. 2. ff. de damn. infer. Confessionem librorum aliorum non adducit Hotom. neq; si posset, contra Florentini, veterumq; Co-
dicum



dicum autoritatem aliquid efficeret, maximè cùm certum sit principalem tractationem in d.l.7. §.2. de A.R.D. & d.21. Inst. b. t. esse de terrâ avulsâ, qvæ meo prædio adjecta longiore tempore hæserit, ita quidem: ut & arbores simul detractæ in fundum meum radices egerint; qvod indicio est, terram adjectam cum mea terra coaluisse: Ex eo itaq; tempore dicitur fundo meo acquisitam videri.

Qvoad posterius. Utilis actio datur Veteri domino, non ad vindicandam ipsam arborem, qvæ jam terræ alienæ coaluit, sed ad petendam ejus aestimationem; qvod si vindicare ipsam arborem possit, non certè utilis actio, sed directa ipsi competet. Et alias non rarum est, utilem actionem, dari ei, qvi desit esse dominus, sicut domino tabulæ scilicet qvi dominus fuerat. (Nā summo Jure extingvitur dominiū tabulæ & picturæ cedit) adversus pingentem si possideat, utilis actio datur. §.34. Inst. de rer. div. Et ita conciliamus hanc l. cum gloss. in d.l.5. §.3. Vid. Dn. Ungep. Ex.s. q.7. Qvod n. alii in d.l.5. §.3. arborem industriâ alterius translatam, contra in d.l.9. §.2. ff. de dam. inf. vi fluminis adjectam intelligunt, & illam utiliter, hanc nullo modo vindicari posse contendunt, vid. Hill. ad Donell. 4. Comment. c.34. lit. E. Divinatione non caret. Nec placet qvod Donellus d. l. post Bulgarum, Accursum & Bartolum habet, referri saltem Vari & Nervæ sententiam, non approbari ab Ulpiano: Nisi dicere velis, Pomponii quoque sententiam, ex qua pleraque recenset in d.l.5. tantum referri, non approbari.

D

QVÆST.



QVÆSTIO VII.

*Insula in flumine publico nata, an proprietate
usu fiat privata? Affirm.*

DÙBITO. i. Flumina omnia (qvod nomen publicis fluminibus tantum, qvæ proprietate certi cuiusdam populi sunt competit, abusivè & impropiè de privatis etiam usurpatur) qvoad usum publica sunt Jure Gentium, §.2. *Inst.b.t. l.7. §.5. ff. de Acqvir. R. D.* E. & insula in flumine publico nata publica erit. Ita enim 2. expressè & specialius argumentatur JCtus in *l. pen. §.ult. ff. de A.R.D.* Si id qvod in publico natum aut ædificatum est, publicum est, Insula qvoq; in flumine publico nata publica esse debet. Proprietate verò eorum est qui agros Insulæ proximos habent, secundum dispositionem in §.22. *Inst.b.t.Cujac.lib.14. Obs.n. in f.* quem sequitur & laudat Heig. p.2. qvæst. ult. n. 134.

DECIDO. i. Generaliter dicitur in *d. §. 22. Inst. b.t.* insulam in flumine publico natam, fieri eorum qui propè ripam prædia possident, & ita insula facta, sive accessio Insulæ refertur inter modos acqvirendi dominii. Jam cæteris modis non proprietatem saltēm acqvirimus, sed usum qvoqve; Idem Ergò & in Insula tenendum. Idq; 2. ad Exemplum alvei exsiccati: qui eorum est, qui propè ripam ejus prædia possident: *§.23. Inst.b.t.* & quidem qvoad proprietatem & usum proximorum fit, quia jam populus eo non utitur, ait JCtus in *l.30. §.1. ff. de A.R.D.* At Insula nihil aliud esse videtur, quam alveus exsiccatus. Præterea 3. Summam æqvitatem refert hæc assertio: si quidem Insula dum nascitur, tantum terræ vicino prædio

prædio detraxit, & partem illam occupavit exundatione: Ideò æquum est, ut Insula nata, damnum vicinis resarciat: & in locum terræ detractæ surrogetur: qvo perinde atque terrâ pristinâ fruatur, i. e. qvoad proprietatem & usum. Unde 4. generaliter JCtus in ^{lib. pen. §. 1. ff. de A.R.D.} Insulam in flumine ita propriam dicit, ut nihil in ea publici sit: qvo ipso proprietatem cum usu privato conjungit, & usum publicum à proprietate privatâ seqvestrat. Hot. Cujacio adversarius lib. I. Obs. 23. Donell. lib. 4. Comm. c. 29. ibid. Hill. lit. B.

RESPONDEO. ad 1. alia fluminis, alia Insulæ in eo natæ ratio est. Flumen ut usu publicum sit necesse est, ob navigationes, sicut novus qvoq; alveus. Insula ut in se qvoad usum fiat publica opus non est: sed æqvitas potius suadet: privatorum & vicinorum fieri, etiam qvoad usum, ut damnum qvod nascens Insula occupatione partis vicini prædii intulit; nata compenset, ut dictum in DECIDO rat. 3.

Ad 2. Publica dicitur Insula, non qvoad totum usum: hoc enim cuivis permisso vix aliqua proprietatis utilitas esse poterit; sed qvoad partem i. e. extremitates, qvæ riparum vice funguntur, adeoq; ad Exemplum earum, hunc usum præstant, ut naves appellere, funes arboribus ibi natis religare liceat &c. §. 4. Inst. de rer. div. Ita autem exponendum esse d. §. ult. 1. pen. suadet §. primus ejusdem l. in qvo Insulam propriam alicujus esse dicitur, ut nihil in ea sit publici, ibidemq; Insula cum agro continenti comparatur, cujus extremitas tantum ripam constituit: Et sic Insulæ saltem extremitas, publicum usum præstabit. Invertit argumentum JCti in d. l. pen. §. ult. Hotom. I. Obsr. 23. & adjectâ particula negativa (Non si id qvod

in publico natum aut ædificatum est &c.) sic colligit. Insulam non perinde publicam esse, sicut qvod in publico natum aut ædificatum est. Sed reprehendit eum Robertus lib. i. Recept. lect. c. ii. Aliter alii; de Insula, qvæ non alveo cohæret, sed virgultis aliavè levimateria sustinetur & fluitat, alii de casu intelligunt, qvando prædia propè ripam publica sunt, tunc enim Insulam qvoqve usu publicam esse. Verum & his explicationibus contradicit textus, dum simpliciter Insulam in flumine publico natam comparat cum eo qvod natum aut ædificatum in publico est, & utrobique usum publicum esse debere decidit. Vid. Hill. ad Donell. lib. 4. Comment. c. 29. lit. b. Dn. Ungep. Exerc. 5. q. 8.

QUÆSTIO VIII.

An Imperator post IJctum Gajum recte approbaverit medium illam sententiam circa modum acquirendi perspecificationem in §. 25. Inst. de rer. div.?

Affirm.

DUBITO. i. qvia interdum species ad priorem & rudem materiam reduci potest; nec tamen domino materiæ acquiritur, qvale Exemplum est in in navi ex alienis tabulis confecta, qvæ facienti acquiritur, non domino materiæ; l. 26. pr. ff. de A.R.D. 2. mustum, vinum & oleum alienis uvis vel olivis expressum; ad uvas vel olivas reverti non potest; nec tamen ei, qui fecit acquiritur, uti quidem Imp. decidit in d. §. 25, secutus regulam hanc, an species reduci possit ad priorem materiam, sed ei cuius uva vel oliva fuerunt;

runt, ad Exhibendum actio competit, cum verius sit,
nostrum esse, quod ex re nostra fit d. 12. §. 3. ff. ad Exhib.
Præterea 3. incongrue additum est in d. §. 25. Exem-
plum de frumento, quasi qui id ex alienis spicis ex-
cussit novam speciem efficerit, eaque cum ad spicas
reverti non possit excutienti acquiratur: cum tamen
qui excussit, non novam speciem faciat, sed eam quæ
est detegat, siquidem grana quæ spicis continentur,
perfectam suam speciem habent, quæ ratione JCtus
Gajus in 7. §. 7. frumentum hoc ei adjudicat cuius
spicæ fuerunt. Et 4. cum non potius acquisitionem
speciei in pretio materiae aut artis vel operæ poni-
mus, cum Connano lib. I. Comment. c. 6. Hottom. in Comm.
Inst. ad d. §. 25. Ant. Matth. in Colleg. Inst. diss. 5. th. 20.
ita ut si res plus habeat materiae vel naturæ quam ar-
tis, ut sit in vino oleo &c. ejus fiat, cuius est materia,
si plus artis aut operæ, ut sit in vestimento nave &c.
ejus fiat qui speciem effecit, siquidem plerumq; plus
est in manus pretio, quam in re, ut ait JCtus in 4. 13. §.
1. ff. d. V. S. idq; sive species ad priorem materiam re-
duci possit sive minus.

DECIDO. Post multam Sabinianorum & Pro-
culianorum ambiguitatem, quarum illi domino ma-
teria, hi specificanti, adjudicabant speciem effectam,
recte placuit Gajo & Imperatori media sententia, ex
ratione satis justa, si ad priorem materiam reduci
possit nova species: Domino materia acquiritur,
quia materia hoc casu nec extincta, nec dominium
ejus amisum censetur, adeoq; in iis quæ redigi ad
sua initia possunt, materia potentior est quam forma.
7. §. 4. ff. de Leg. 3. Si reduci non possit, ei acquiritur,
qui fecit, quia potentior hic est forma, quam materia
Vid. Hot. ad d. §. 25.

D 3.

RE



RESPONDEO. ad 1. Navigis ex alienis tabulis effec-
ta, interdum facienti acquiritur, si scilicet facta fue-
rit ex alterius arbore & ligno rudi, non præparato,
sed quod ipse opifex secuerat, & ex qua tabulas fe-
cerat; meritò inquam, facienti cedit hæc navi, se-
cundum decisionem JCti in d.l.26.pr. ff. de A.R.D.
quia sic ad priorem materiam reduci non potest. si-
ve ut loquitur JCtus in d.l.26. quia cupressus non ma-
net, i.e. dominus materiæ saltem cupressum vel arbo-
rem cessit; tabulas ex eâ Opifex fecit; dominus arbo-
ris tantum fuit non tabularum, ex tabulis arbor fieri
& sic ad initia sua redigi non potest. Aliud est si quis
ex alterius tabulis, quæ jam dolatae & præparatae erant
navem efficerit, hanc enim non ejus fieri, qui effe-
cit, sed ejus cuius tabulae fuerunt, justa ratio svaldet,
& secundum eam respondit JCtus in l. 61. ff. d. R. V.
quia tabulae illæ nunquam extinctæ sunt; sed tales ma-
nent, nec reduci ad priorem materiam dicuntur, sed
extant adhuc. Et ita Don. post Accurs. & Dd. vulgo
lib. 4. Com. 12. Aliter alii vel antinomiam & dissensio-
nem JCtorum in d. l. 60. ff. de R. V. & d. l. 26. pr. ff.
d. A.R.D. agnoscunt, vel Minitium in d. l. 61. à Julia-
no notari; id est, reprehendi, quod non adeò impro-
babile videtur, ob rationem subjectam, quia proprie-
tas totius navi, carinae causam sequitur, i.e. ejus est
qui navem fecit. Quæ explicatio Connani est lib. 3. Com.
c. 6. cui accedit Hillig. ad Donell. lib. 4. Comm. c. 1. lit. C. in
fin. ad 3. loquitur d. l. 12. §. 3. de eo qui mala fide ex u-
vis meis mustum fecit, vel ex olivis oleum, vel ex la-
na vestimentum; cum sciat hæc aliena esse, uti ex-
pressè ibidem additur. Donell. d. c. 12. inf. quanquam e-
nim naturali ratione acquisitionis considerata, bona
vel

vel mala fides acquisitionis non attendatur. *Wes. Heig.*
Et alii ad d. §. 25. Inst. b. t. civili tamen ratione inspecta
bona fides requiritur. *ib. collim. solum ipsius. omni*
ad 3. Verum quidem est aut omissendum fuisse
in d. §. 25. exemplum de frumento; aut addendam
correctionem, quam Ictus Gajus subiungit in d. l.
7. §. 7. ff. d. A.R.D. in fin. quoad ipsum hoc Exemplum
frumenti. Eo scilicet excusso non videri novam spe-
ciam, sed eam, quae jam erat, detegi, adeoq; non fieri
excutientis, sed ejus cuius spicæ fuerunt. Interim
tamen ipsa decisio circa medium hanc sententiam
subverti non debet: & supplendus est dictus §. 25. ex
d. l. 7. §. 7. Conf. Hotom. ad d. §. 25. ubi rectius fecisse
ait Tribonianum, si exemplum posuisset de frumen-
to & farinâ, si quis ex alieno frumento farinam fece-
rit. Exempla autem de vino & oleo in d. §. 25. recte se
habent, & alia eorum, quam frumenti ratio est, si qui-
dem grana perfectam suam speciem jam in spicis
habent, nec opus, ut post excussionem alia cura ac-
cedat: quod in vino & oleo secus obtinet. *Vid. Harpr.*
ad d. §. 25. *Dn. Frantz. Exerc. 4. q. 4.* Ad 4. Incerta
est aestimatio vel materiæ vel pretii. Ideò ad evi-
tandas litium ambages præstat inhærere distinctio-
ni, de quâ mox & facilimè constare potest; an
reduci possit: *Vid. Alb. Gentil. 4. leet. 16.* Cæterum si
quis partim ex suâ, partim ex alienâ materiâ speciem
aliquam effecerit: simpliciter quidam specificanti
dominium adjudicant, cum non solùm operam suam
dederit, sed & partem ejusdem materiæ præstiterit.
d. §. 25. in f. Sed verius est in hoc quoq; casu distin-
ctionem superiorem adhibendam esse, ut tunc de-
mum specificanti acquiratur, si species ad priorem
mater-

materiam reducere non posse. Idque voluisse Imperatorem ex subjectis ibidem exemplis patet, de mulso ex suo & alieno melle mixto; de emplastro aut collyrio ex suis & alienis medicamentis; de vestimento ex sua & aliena lana confecto; quae omnia ei qui fecit acquiruntur, non ob collatam materiam & operam, sed quia materia separari, & ad initia sua redigi non possunt: quod si separari queant: specificanti non acquiruntur, sed suam quisque materiam vindicant. Vid. l. 5. §. 1. ff. de R. V. l. 12. §. a. l. 27. §. ult. ff. de A. R. D. W. senb. Hotom. & Soc. in Comm. Inst. add. §. 23.

QUÆSTIO IX.

An Tabula cedat pictura? Aff.

DUBITO. I. ob generalem regulam, quæ superpositum cedit inferiori. Cajus lib. 2. Inst. tit. 1. §. 4. tanquam adjunctum suo subjecto, tanquam pars suo toti, aut accessorium suo principali: Ita enim quicquid solo inaedificatum, implantatum, aut insitum est, solo cedit, §. 29. 30. 31. & 32. secundum vulgatum versic.

Quicquid plantatur, seritur, vel inaedificatur omne solo cedit:

Cur non itaque & pictura tabulae cedat, tanquam fundamento. Et ne existimes in picturâ specialem esse diversitatis rationem, quæ vel à pretio vel ab artificio desumi poterat, ideo et proditum in Jure est, in ejusmodi acquisitionibus pretiositatem non spectari. Ita enim purpura vestimento intexta, licet pretiosior sit, tamen accessionis vice cedit vestimento. §. 26. Inst. de rer. divisi. Et gemmæ in vasis aureis & argenteis, auro argentovè cedunt. l. 19. §. 13. ff. de aur. & arg. leg. Et scriptura sæpè pretiosior est chartâ: nihilo minus



minus literæ, licet aureæ sint, chartis membranisvè cedunt.
§.33. Inst. d.t. qvod etiam hodiè durantibus pristini Juris rationibus iisdem obtinere defendit Heig. add. §.33. cum glossâ ibid. Idemq; 3. Cajus habet d.lib.2. Inst. tit.1. §.4. statutum est, ait, ut tabulæ pictura cedat; aut si abrogare libellis his autoritatem volueris, non derogare tamen posteris JCto Paulo, qui in l. in rem. 23. §.3. idem expressè assertit, dum primū de scripturâ & picturâ cōjunctim respondebat, in verbis; sed & id qvod in chartâ meâ scribitur aut in tabulâ pingitur, statim meum fit. subjungit deinde opinionem aliorum de picturâ contrariam, in verbis: licet de picturâ qvidā contrasenserint propter pretium picturæ. Verum rejectâ hac opinione, prius decisum de picturâ cōfirmat, subjectâ ratione, in verbis, sed necesse est reicedi, qvod sine illâ esse non potest: Hoc ad tabulam & picturam applicatum facilimè infert conclusionem illam: Tabulæ cedit pictura. Cumq; ita evidens sit responsum Pauli in d. l. 23. frustra utiq; est Pacius, qui Cent. 3. ENANT. qvæst. 43. contrariam sententiam, nimirum tabulam cedere picturæ: in d. l. probari aut saltem non improbari contendit.

DECIDO. Ex clarissimo Responso JCti Caji in l.9. §.2. ff. de A.R.D. in qvâ relatis exemplis de plantis, frumentis, ædificiis, literis sive scripturâ, Exceptionem in picturâ constituit: Non, uti literæ chartis membranisvè cedunt, ita solent picturæ tabulis cedere, sed ex diverso placuit, tabulas picturæ cedere. Qvod Responsum omnino suum fecit Imperator in §. 34. Inst: h.t. additâ decisionis ratione, ridiculū esse picturam Apellis vel Parrhasii in accessionē vilissimæ tabulæ cedere, qvæ ratio sufficiens videbatur in picturâ diversum statuendi ab illâ regulâ: Superposita cedunt inferioribus. Cumq; picturæ artē in maximo apud Romanos pretio fuisse constet: Vid. Mynsing. ad d. §.34. meritò tabulæ eam præferendam esse censuit Imperator.

E RESON-



RESPONDEO. ad 1. Regulam concedimus, sed exceptio-
nē in picturā ut admittamus, clarissimum J.Cti Respon-
sum & Imperatoris Rescriptum efficit. Huic qvod placuit
animo nimirum sanciendæ legis, Lex est. §.6. Inst. de J.N.G.
& Civ. Ad 2. pretium qvod in materiâ vel substantiâ con-
sistit, ab artis vel artificii pretio distinguendum est, Illud
qvidem inferiori suo cedit, & cōmuni Regulæ subjacet:
hoc excipitur, ob artificii excellentiam, cūm nec aliâs ra-
rum in jure sit ob eminentiam rei à cōmuni Regula re-
cedi. Ad 3. Caji Institutionum nulla autoritas est, nec eo-
rum authorem Cajum illū dixeris, cuius in fffis fit men-
tio, cuius est ipsum illud Responsum in d.l.9. ff. de A.R.D.
qviq; aliâs à seipso temerè dissentiret. Sed Cajo cuidam
Christiano non improbabiliter adscribuntur fragmenta
illa, aut Aniano Gothorum Regis Alarici, vel secundum
alios Theodorici Cancellario; qui & Epitomen istā con-
fecit, & ad sui temporis mores multa interpolavit. Cui
vel illud argumento est, qvod de nuptiis consobrinorum
habet lib.1. Inst. tit. 4. §.6. & negativè legit, eos conjungi
non posse. Vid. Anton. Cont. lib.2. Lect. subseciv.c.1.n.13. Vult.
& Bachov. ad §. duorum. 4. Inst. de Nupt. Responsum Pauli
in d.l.23. §.3. dissentiens qvidem & adversarium agnoscim-
us: Responso Caji in d.l.9. ff. de A.R.D. eaq; dissensio à cō-
pilatoribus relicta est in Pandectis, fortè, ob difficultatē
qvæstionis, cum aliâs Imperator omnia, qvæ in iis conti-
nentur, approbaverit, ac sua fecerit. Cōficit.tanta. §. tanta 10.
de confirm. ff.or. rejectâ autē Pauli sententiâ, Caji Respon-
sum approbavit Imperator in d. §.34. Inst. b.t. qvod solum
cum deinceps pro Jure observatum sit: Paulus, qvafsi con-
trarius Cajo non ulterius allegari potest. Mys. Vult. Heig.
& alii. cum qvibus ita malumus, qvam cum aliis vel anti-
nomiam statuere, vel dictam l.23. de ursō picto, aut de pi-
cturâ in tabulâ, aut de tabula cereâ, vel coriacea notis
scri-



scribendis apta, aut de tabulâ, qvæ pretiosior sit qvam pictura: dictam verò l.9. ff. de A.R.D. de homine picto accipere, vel de picturâ textili, vel de simplici tabulâ parvi pretii, vel de specificatione; quasi post picturam non amplius tabula sit, sed pictura & imago vocetur, qvod ultimum Gœdd. opinatur ad l. Labeo. 14.n.12. ff. de V.S. Sed minus rectè. Nulla enim hic speciei effectio, tabula manet: & picta tabula dicitur: non secus ac lana, qvæ colore tintata, non dicitur specificatio; perinde, ut lana, qvæ in lutū aut cœnum incidit, atq; ita pristinam colorem perdidit, ut loquitur JCtus in l.26. §. ult. ff. de A.R.D. Imò, licet esset aliqua specificatio, nō tamen pingenti cederet, siquidem abrasâ picturâ, vel coloribus abolitis pristina materia remanet, & sic potius nunquam mutata, qvam restituta censetur. Vid. Hillig. ad Don. lib. 4. comm. c. 12. lit. B. & seq.

QVÆSTIO X.

An thesaurus in loco sacro & religioso privato inventus inventori cedat? Aff.

DUBITO. Ob Responsum JCti Callistrati in l.3. §. pen ff. de J. fisci. in qvo ex Constitutione Diverum fratrum, generaliter, dimidiā partem thesauri in locis fiscalibus vel publicis, religiosissimè aut in monumentis reperti Fisco vindicandam esse ait. Alio sensu alii manum textui admovent, & negativè legendum censem; non etiam religiosis: at violentum id est, & menti Diverum fratrum & JCti-contrarium.

DECIDO. I. ex apertissimo textu in §.39. Inst. de Rer. divis. in qvo thesaurus in loco proprio inventus ei cedit, qui invenerit: idemq; statuisse dicitur Divus Hadrianus, si quis in Sacro aut religioso loco fortuito casu invenerit: Qvod autem dictus §.39. intelligendus sit de loco sacro & religioso privato, ex cohaerentia & oppositione textus patet. Primū enim agit de thesauro, quem quis in loco suo, & quidem profano, invenerit;

subjun-



165

Subiungit deinde de loco sacro aut religioso, de loco alieno pri-
vato & publico in subsequentibus demum addit, ibi: *At si quis in
alieno loco, qvæ oppositio satis probat, in præcedentibus actum
fuisse tantum de proprio loco profano & sacro aut religio-
so, & utrobique inventum thesaurum, inventori cedere.*
Fuisse autem apud Romanos loca hujusmodi sacra & religio-
sa, dubium non est, in quibus privatim, ritus & sacra sua
familiaria peragebant, Numen quoddam tutelare colebant:
& in quibus mortuos suos condebant: Vid. §. 9. *Inst. de
rer. div. l. 5. ff. de relig. & sumpt. fun. l. 9. §. 1. ff. ad L. Jul.
pecul.* in qua mentio fit sacrorum privatorum: In his itaque
locis sacris aut religionis privatis, inventum thesaurum In-
ventori Domino in totum cedere. 2. hæc ratio facit,
qvod credibile sit, maiores quondam in sacro illo & reli-
giose loco pecunias illas condidisse: Imo quia sacer hic &
religiosus locus privatus ita alicujus est, ut alteri sacra ibi-
dem tractare, vel inferre mortuum non liceat, qvid obstat,
qvo minus circa inventionem thesauri in tali loco idem dicamus,
qvod de loco alicujus proprio profano.

Et ita accepto & explicato hoc §. 39. nulla ei pugna erit
cum d. l. 3. §. pen. Nam

R E S P O N D E O. Illam l. 3. §. pen. intelligendum esse de
loco religioso, non privato, de qvo loquitur Imperator in d. §.
39. sed publico: qvod vel inde apparet, quia in d. §. pen. conjun-
guntur loca fiscalia, publica & religiosa: perinde ut d. §. 39. lo-
cus sacer & religiosus jungitur privato. Unde hic quidem, locus
religiosus de privato: illic vero de publico accipiens erit: in
qvo inventus thesaurus, pro dimidia parte Fisco cedit, altera ad
inventorem pertinet, qui nimirum fortuito casu invenit, non
data operâ, nec per Magicas artes. Sic enim inventus, licet in lo-
co proprio, Fisco in totum vindicatur. *Dd. in l. un. C. de Thes.*
Et data operâ inventus; Domino Soli cedit. arg. d. §. 39. Con-
fer. *de Invent. Thes. Robert. lib. 1. Recept. lect. c. 5. Hillig. ad*

Donell. lib. 4. Com. c. 14. lit. F. Riem. Dec. 4.

q. 4. Dn. Frantz. Exercit. 4.

qvæst. ult.

G L O R I A S O L I D E O.





Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt

urn:nbn:de:gbv:3:1-567145-p0043-1

DFG



WITTENBERG, Diss., 1652



TA 30 L

VDA 7



Farbkarte #13

B.I.G.

Black
White
Magenta
Red
Yellow
Green
Cyan
Blue



FAVENTE
ARUM,
ii & rerum.
E M
Magnifici Juris-
inis
li Academia
NSI
Q
risconsultissimi
mi
SUEVI, J. U. D.
oralis Facultatis Juri-
essoris gravissimi,
oni ui submissè
Subjicit
Alland
XO
om.
m.
FINCELIUM,